Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Johannis Mulmanni, SS. Theol. dum viveret, Licent. ejusdemq[ue] Prof. Publ. ord. ad D. Nicolai Archi-Diac. & Alumnorum Electoralium Ephori, in Academia & Ecclesia Lipsiensi, Commentarius In Librum ...

Mülmann, Johann

Dresdæ, MDCCI

VD18 10367071

Caput Duodecimum.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18377

Visual Library

gnando. Unde pacem constat belli esse optabilem finem. *Omnis enim homo etiam belligerando pacem requirit, nemo autem bellum pacificando.* ὁμόψηφος est *Aristoteles* lib. 10. Eth. ad Nicom. cap. 7. dicens: *Videtur beatitudo in ocio posita esse.* Ἀσχολούμεθα γὰρ, ἵνα σχολάζωμεν καὶ πολεμοῦμεν, ἵνα εἰρήνην ἄγωμεν i. e. *Negotiamur, ut ociemur, & bella gerimus, ut pacem agitemus.* Et paulo post: οὐδεὶς αἱρεῖται τὸ πολεμεῖν, τοῦ πολεμεῖν ἕνεκα i. e. *Nemo expetit bellare propter bellum. Videbitur enim prorsus* μιαιφόνος i. e. *sangvinarius.* Et lib. 7. polit. cap. 13. *Bellum* dicit *suscipi pacis causa & laboris & ocii.*

CAPUT DUODECIMUM.

SUMMA.

HOc caput continet *Catalogum* seu ἀπαριθμὸν *regiarum victoriarum,* qvas filii Israel partim sub Mose, partim sub Josue divino auxilio consecuti sunt.

Partes capitis 2. sunt. *In prima* commemorantur victoriæ, qvæ à duobus regibus Sehon & Og, Mose adhuc vivente, sumtæ, in terra Trans-Jordanina occidentali.

v. 1. Trans Jordanem) *Terra Palæstina dividitur in duas partes,* qvæ ambæ dicuntur trans Jordanem, propterea qvod flumine Jordanis interveniente dirimantur: *Una* versus ortum Solis sita est, in qva Sehon & Og imperii clavum tenuere: *Altera* ver-

versus occasum, in qva Josue hactenus illustres strages edidit: Transjordaninæ Orientali termini nominantur in textu; I. Arnon fluvius à meridie. II. Mons Hermon à Septentrione; Planities ab Oriente, seu solitudo. Si reqviris occidentalem terminum, est is Jordan.

v. 2. Sehon) Historiam de occisione regum Sehon & Og lege Num. XXI, 22. & 33. Devt. I, 4. & cap. II, 24. Item c. III, 1. &c. & XXIX, 7. Describitur autem Sehon, qvi meridianam partem transjordaninæ Orientalis terræ tenuit. I. *à natione subditorum*, qvi fuerunt Amorrhæi.

II. *Alii putant* in ea urbe multas gentes habitasse, qvæ ex aliis regnis eò confluxerunt: Unde rex gentium dictus est. Sed ratio hæc infirma est: Nam reges non solent titulos mutuari ab alienigenis subditis, sed hi potius induunt nomina civium, qvibus annumerantur.

III. *Sunt, qvi arbitrantur*, regem hunc gentium appellari propter dominium amplissimum in diversos populos, cujusmodi fuerunt Jebusæi, Pherezæi &c. Sed neq; hoc probabile videtur ob multitudinem regum, qvæ tanta fuit, ut singulis gentibus, fortasse & singulis urbibus præessent.

IV. *Optima* igitur *sententia* videtur esse hæc, qvod vox גוים non accipiatur specialiter pro alienigenis, sed generaliter pro ipsis inqvilinis Cananæis ad vel prope Gilgal. Nam omnes Cananæi dicuntur גוים i. e. *gentes* Devt. VII, 1. c. XI, 23. cap. XXXI, 3. Ac videtur Gilgal non tantum esse nomen urbis, sed

ſed etiam totius tractus, qvemadmodum *Dor*: Unde ſimiliter cum ⅂ conſtruitur, qvod in hoc capite cum nominibus propriis non obſervatur.

LOCI COMMUNES Theologici.

I.

De impiorum oblivione.

Etſi reges impiarum gentium hîc à circumſtantiis qvibusdam deſcribuntur; tamen eorum nullus notatur nomine proprio. Non enim dignatur eos Spiritus Sanctus qvorum nomina literarum æternitati tradat. Sed ut eſt apud *Jobum* c. XVIII, 17. & Pſ. XIX, 8. It. Pſ. XXXIII, 17. *Memoria impii pereat de terra.* Sic Pſ. CVIII, 15. Sap. IV, 19. Eſ. XXVI, 14. Qvod autem Og & Sehon nominantur, ad id accommodari poteſt illud Eccleſiaſtici c. XXIV, 36. *Derelinqvet* (impius) *in maledictam memoriam ſuam.* Et Prov. X, 7. *Nomen impiorum putreſcet.*

Contra benedicta memoria eſt perpetuum præmium juſtorum juxta Pſ. CXI, 6. *in memoria æterna erit juſtus.* Et Prov. X, 17. *Memoria juſti cum laudibus.* Eccl. XLV, 1. *Dilecti memoria in benedictione eſt.* Ad hunc ſcopum collimare decet omnes, ut piè vivendo honeſtam noſtri memoriam poſt obitum in terris relinqvamus.

II. *De recordatione divinorum beneficiorum.*

Dum Joſue in hoc capite, velut in breviſſimo Cata-

logo, reges occisos ordine numerat & repetit, instruit nos, beneficia divina non esse segniter tractanda, sed ultro citroq; consideranda, prædicanda, repetenda, ut inde ad seriam gratitudinem excitemur: nec divinæ beneficentiæ memoriam apud nos ulla unqvam oblivione torpescere & obliterari concedamus. Qvem in finem repetit *David* multa beneficia multis retrò seculis in Ecclesiam divinitus collata Psal. XLIII. LXXVII. & CV.

LOCUS LOGICUS & RHETORICUS.

De usu brevitatis.

Non tantum grata est, sed etiam utilis moderata ac prudens brevitas. Ideoq; videmus hîc omnes res bellicas sub Mose & Josue per aliqvot annos administratas in hoc capite tanqvã in previssima tabula per ἀνακεφαλαίωσιν conspiciendas populo exhiberi. Sic non merentur saltem laudem, sed etiam multum inserviunt discentibus, qvi vel à se vel ab aliis prolixè tradita in compendiosam qvasi tabulam contrahunt. Solent enim ingenia multitudine & prolixitate obrui, ac in magnâ copiâ qvasi depauperari, ut qvi omnia scire debebant, parum vel nihil sciant. Recte igitur monet *Horatius* in arte Poet: v. 335. s.

Qvicqvid præcipies, esto brevis, ut cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantq; fideles.

Cavendum tamen, ne *brevitas degeneret in obscuritatem*, sed ut prudentia adhibeatur, qvemadmodum de Menelao canit *Homerus* Iliad. 3. v. 215.

πάνυ γ

παῦρα μὲν ἀλλὰ μαλὰ λιγερῶς, ἐπὶ ȣ̓ πολύμυθος.

ȣ̓δ' ἀγαμαρτοεπὴς *i. e. Pauca qvidem* (dixit) *verum cum prudentia: qvia non garrulus erat, nec in verbis peccans.*

Sic *Sophocles*:

βραχεῖ λόγῳ δὲ πολλὰ πρόσκειται σοφὰ *i. e. Brevi orationi multa inest sapientia.*

LOCUS POLITICUS.

De historiarum notitia.

Josue præscribit populo in hoc capite qvasi compendium historicum de regibus Cananæis antecessoribus suis expulsis. Nam cognitio historiarum utilis est in bona politiâ, ut tam gubernatores qvàm subditi de officio & præclaris virtutibus admoneantur. Suppeditant historiæ varia exempla justitiæ, temperantiæ, fortitudinis, prudentiæ & inprimis divinarum pœnarum ac remunerationum, qvibus unusqvisqve tanqvam in carceribus obedientiæ continetur. Tradunt innumerabiles casus & eventus humanorum consiliorum, qvibus politiæ solent esse refertæ. Atqve hac de causa refert *Svetonius* de *Augustô Cæsare* fol. mihi 191. qvod in evolvendis utriusq; lingvæ autoribus nihil æqvè sectatus fuerit, qvod exempla vel præcepta publice vel privatim salutaria, eaq; ad verbum excerpta aut ad domesticos, aut exercitum provinciarumqve rectores, aut ad urbis magistratus plerumq; miserit, prout qviqve monitione indigerent. Etiam libros totos & senatui recitavit & populo notos per edi-

ctum sæpè fecit. Propter studium historiarum tanti fecit *Alexander* poëmata Homeri, ut dormienti sibi supponeret. Et *Alphonsus* opt. autorum libros pro fidelissimis consiliariis habuit.

CAPUT XIII.

INcipit *secunda pars totius libri Josuæ.* Hactenus enim *bella sub Josue gesta descripta sunt*: posthac audiemus, *qvomodo terra Israeli distributa fuerit.* Atq; in hoc 13. c. repetitur distributio terræ orientalis trans Jordanem, qvæ Ruben, Gad & Manasse tribui dimidiæ obtigit.

Partes ejus sunt duæ: I. προσαιτικὴ, in qva DEus distribuendi officium Josuæ demandat usq; ad v. 7. II. Est ἐξηγητικὴ; in qva distributio Orientalis Palæstinæ â Mose instituta recensetur.

v. 1. Josue senex) Mandato suo de distribuenda terra præmittit Deus προκατάληψιν seu *tacitam Objectionem*, ob qvam Josue animo admodum macerari ac consternari poterat. Notetur 1. ὑποφορά. 2. ἀνθυποφορά. ὑποφορὰ est: *Restant multæ amplissimæ regiones adhuc bello occupandæ & devincendæ. Ego autem qvi sum senex & à morte propè absum, devincere eas non potero*: Ergo & Cananæi superstites non ejicientur & distribuendæ terræ munus mihi commendari non potest. Seqvitur ἀνθυποφορὰ v. 6. *Ego sum*, dicit DEus, *qvi delebo eos. Tu hanc terram haud secus atq; devictam in hæreditatem referto.*

Jo-